

Epistola apologetica qua egregiam virtutis laudem Helvetiis a C. Iul. Caesare [...]

Autor(en): [s.n.]

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - (1751)

Heft 23

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394704>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

EPISTOLA APOLOGETICA,

qua

Egregiam Virtutis Laudem

HELVETIIS

A C. JUL. CÆSARE de B. G. Lib. I: I: 4.

tributam

Nuper temere a Quodam obelo critico esse
expunctam, docetur.

Ad

Virum Spectatissimum Nobilissimumque

LOYSIVM de BOCHAT,

Professorem quondam J. U. in Acad. Lausann.

Celeberrimum;

Nunc PRO-PRÆTOREM Lausann. digniss.

ESt ita ut scribis, Vir Spectatissime! paucis-
simi intelligunt, quantæ diligentia sit hæc
Criticæ Artis disciplina, quæ in corruptis
veterum Auctorum Lectionibus detegendis,
iisdemque sanandis occupatur, & quam temere
hæc Sacra violent, qui ut primum aliquid con-
coquere aut cum Dialecticis suis præceptiunculis
non ita facile in concordiam redigere possunt, id
protinus obelo configendum, proscribendum,
aut quocunque modo mutandum esse sciscunt:

qui si Cel. *Burmanni* auream Præfationem Phædro præmissam tanquam normam sibi proponerent, ad quam quicquid est hujus facultatis dirigerent, in sollicitandis veterum Auctorum locis omnino cautiore essent. At videas sæpe homines, nec multa lectione subactos, nec a judicio critico bene instructos hæc Sacra involare, ac confidenter profiteri, se medicinam facere velle, quamvis quid in quovis Scriptorum genere sanum ac integrum sit nullo modo perspectum habeant: Quorum e numero si illum esse dixero, qui in *Miscellaneis Lips. novis Vol. II. Part. II. n. IV. p. 304.* se in aliquot JUL. CÆSARIS *de Bello Gallico Libris* criticas Emendationes tentasse profitetur, nil dixero præter rem; neque admodum miror hanc hominis temeritatem stomachum Tibi movisse: Præterquam enim quod in elegantissimo Scriptore pro lubricitate sua fingendo ac refingendo intemperantius grassatur, eidemque fere tot vulnera infligit, quot loca sanasse vult videri; in prima statim castigatione Helveticæ Gentis gloriam, quam Tu, Vir Spectatissime! multæ Lectionis ac Eruitionis Opere omnibus modis sartam tectam conservare atque illustrare satagis, impio ausu labefactare, quinimmo penitus delere, inepte studet: qua in re, utrum temeritati magis criticæ, quam invidiæ indulgisse videatur, nihil definio. Me interim operæ pretium & rem Tibi non ingratham facturum, simulque præcipuo alicui pietatis officio satisfacturum puto, si hanc confictæ emendationis calumniam a Gente Helvetica abstergam, & mustacei illius critici procacitatem accusando in uno alteroque loco ostendam, quam imparatus sit

fit ab iis præfidiis, citra quæ nemo recte ad optimorum Scriptorum castigationem accesserit.

Sapienter CÆSAR & opportune bellum a se cum Gallis gestum expositurus, Commentarios suos a Galliæ totius divisione in partes, & a pleniore singularum a finibus quibus circumscriptæ sunt definitione orditur: Et quoniam narrandi initium a memorabili illa de Helvetiis parta victoria facere instituit, necesse omnino fuit, ut in ipso exordio prius disertam Helvetiorum mentionem injiceret, quam ipsam narrationem, quasi abrupto quod ajunt filo, his verbis ordiretur: *Apud Helvetios longe nobilissimus & ditissimus fuit Orgetorix.* Hoc autem commodius & magis suo loco fieri potuisse, quam a Cæsare factum est, nemo hactenus sibi persuasit: etenim ubi Galliæ populorum bellicam fortitudinem instituta comparatione ita æstimaverat, ut Belgis primas facile tribueret, sapienter prorsus & apte Helvetiorum laudes, utpote ab eadem situs opportunitate, tanquam causa, profectas, conjunxit, atque ostendit, quemadmodum Belgæ virtutis laude omnes Gallos h. e. Aquitanos Celtasque, anteirent; ita Helvetios reliquos Celtas virtute præcedere, eam maxime ob causam, quod illi Germanis ad inferiorem Rheni partem, hi vero ad superiorem finitimi sint, quibuscum utriusque continentia bella gerant. Ita enim Cæsar: *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona & Sequana dividit; horum omnium fortissimi sunt Belgæ; propterea quod a cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important; proximique sunt*

Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt: qua de caussa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quod fere quotidianis præliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano. &c. Hanc narrationis seriem, quam omnes MSS. Libri tuentur, & nemo hactenus non ita informatam esse judicavit, ut Cæsaris facultatem magnopere commendaret; nuperus ille Criticaster primus tanquam hiulcam, inepto Glossemate interpolatam & multis modis contaminatam damnat, & ferulæ suæ subjectam vix clementius tractat, quam pueri alicujus progymnasma a severo aliquo Orbilio castigari solet. Quæris quid illud sit, quod in hac Cæsaris narratione nasum hunc criticum maxime offenderit? Oportet enim satis graves esse rationes, quæ hominem modeste eruditum commoveant, ut in terribissimo Scriptore integræ alicui pericopæ, omnium consensu ac judicio hactenus comprobatæ, contra omnem MSS. Codicum fidem, violentas manus inferat, eamque ut ineptum aliquod asumentum proscribendam esse confidenter pronunciet. Equidem tres in medium adfert rationes, quibus hanc suam sententiam criticam probabilem reddere conatur, sed profecto adeo frivolas frigidisque, ut non mirer, neminem alium hactenus hic aliquid vitii aut interpolationis subolfacere potuisse. Prima hujusmodi est: *Nulla apparet ratio, cur Cæsar in expositione de virtute Belgarum instituta, de Helvetiis voluerit disserere, de quibus quippe demum Cap. II. agit.* Recte quidem videtur concedere Hypercriticus noster, J. Cæsarem, sapien-

piantissimum Scriptorem, nil nisi summa ratione in Commentariis suis posuisse: Sed ibi nullam apparere aut esse rationem, ubi nullam ipse statim deprehendat, qui sibi persuadere possit; aut in quo summam rationem hactenus sibi cernere videbantur perspicacissimi interpretes, id, quasi omni ratione careret, qui suspectum reddere audeat, eum ego a gravissima temeritatis culpa proxime abesse censeo. Et profecto adeo necessaria fuit Helvetici nominis diserta mentio, antequam ipsam narrationem ab Orgetorigis consilio ordiretur, ut sine ea Cæsaris oratio prorsus salebrosa & hiulca fuisset. Quid quod etiamsi hujus mentionis nulla necessitas fuisset, quemvis tamen fateri necesse est, Cæsarem communem Helvetiis cum Belgis virtutis ac fortitudinis laudem, quoniam ex eadem causa, continua nimirum utriusque Gentis cum finitimis ultra Rhenum Germanis conflictatione profecta est, perquam apte ac opportune conjunxisse: atque hæc ratio, quamvis nullam apparere contendat Criticus noster, ex ipsa Cæsaris narratione manifesta est, cum dicit: *QUA DE CAUSA Helvetii QUOQUE reliquos Gallos virtute præcedunt* &c. Quibus verbis aperte significat, imminentes Helvetiis Germanos ad superiorem Rheni ripam finitimos, cum quibus quotidianis fere præliis contendere necesse fuerit, Helvetiorum belli fortitudinem exercendo acuisse, eorumque virtutis gloriam pari modo, quo de Belgis memoraverat, auxisse. Altera ratio, quæ huic infelici Critico interpolationis & corruptionis suspicionem movit, adhuc levior, & magis ridicula est, simulque etiam ostendit, nihil eum in hac Cæsaris oratione recte intelligere: Quærit enim non

sine Romacho: *Quomodo verba illa: Eorum una pars initium capit a flumine Rhodano, cum Helvetiis connecti, eisque subjici possunt? Cui enim, præter hunc, unquam in mentem venit, ut hæc verba cum proxime superioribus conjungenda, aut de Helvetiis accipienda esse sibi persuaderet? Jam olim Rbellicanus noster ad hæc verba annotaverat: Redit unde digressus erat, nempe ad Celtarum fines describendos. Et referenda sunt omnino hæc Cæsaris verba ad superiora illa: Hi omnes, [scil. Belgæ, Aquitani & Celtæ, qui Galli nostra Lingua appellantur] Lingua, institutis, legibus inter se differunt. . . . Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano. Tertia denique ratio, quam ipse primo in acie loco collocavit, speciem quidem aliquam, sed nihil firmitatis habet: Vult enim Cæsarem mox iterum Cap. II. refellere, quod in hoc loco videatur affirmasse, diserta enim ejus de Helvetiis Cap. II. verba hæc esse: minus facile finitimis bellum inferre possunt. Et deinde in hunc modum argutatur: Quomodo hæc, obsecro, conciliari queunt cum eis, qua Glossemate docentur? Glossema enim Helvetiis tribuit facilitatem gerendi bellum in finibus Germanorum. Sed salva res est! omnis statim evanescit ἐναντιοφανεῖς, si Cæsaris contextum ipsum inspiciamus, qui ita habet: Undique loci natura Helvetii continentur. . . . His rebus fiebat, ut & MINUS LATE vagarentur, & MINUS FACILE finitimis bellum inferre possent: qua de caussa homines bellandi cupidi magno dolore afficiebantur: pro multitudine autem hominum, & pro gloria belli atque fortitudinis, angustos se fines habere arbitrabantur. At vero hoc ipso loco tantum abest ut neget, quod supra affirmaverat, quo-*

quotidiana fere Helvetiis cum Germanis, & quidem in FINIBUS aut suis aut eorum, prælia fuisse; ut hoc ipsum magis adhuc confirmet, cum dicit natura locorum fuisse prohibitos, ut *minus late vagarentur, & minus facile finitimis bellum inferrent*: ubi notandum Cæsarem h. l. phrasi illa *bellum inferre*, non loqui de præliis illis quotidianis & levioribus, quibus Germani Rheno transmissis Helvetios sollicitare, aut hi illos laceßere mutuo consueverunt: sed de universæ Gentis aliqua expeditione, qua finitimos populos e sedibus suis expellere studerent: nihilque etiam de frequentia harum incursionum aut affirmare aut negare, sed id tantum dicere, eas cum magna aliqua difficultate esse conjunctas. Deinde vero hæc difficultas bellicæ expeditionis h. l. non tam Germanos, quam Gallos spectat, adversus quos Orgetorix bellum concitare voluit: etenim ab ea parte qua Germanos attingunt Helvetii, non perinde magnas objectas fuisse difficultates quo minus ultro citroque Rhenum transmitterent, atque se mutuo hostiliter invaderent, ex eo clarum est, quod supra in eo loco, de cujus *audientia* nobis controversia est, diserte commemoret, Germanos non minus facile & frequenter Helvetiorum fines invasisse, quibus eos prohibere necesse fuerit. Denique Cæsar etiam Cap. II. hoc ipso loco Helvetiis non tantum bellandi cupidinem, *sed gloriam belli atque fortitudinis*, procul dubio quotidianis adversus Germanos præliis partam tribuit, atque ita diserte confirmat, quæ supra jam in hanc eorum laudem dixerat; quod si enim cum finitimis ob summam & insuperabilem difficultatem non continuis præliis contendissent, dicant mihi unde hæc

hæc belli atque fortitudinis gloria ipsis parta fuerit. En vero hominis illius Critici temeritatem, qui tam frivolis inductus rationibus non dubitat tribunitiam damnationis sententiam ferre hoc diro carmine: *Eximenda idcirco sunt e contextu Cæsaris illa: Quæ de caussa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt - - - in eorum finibus bellum gerunt. Eis enim ejectis, oratio sibi constat, & cuncta prono fluunt alveo.* Scilicet immedicabile vulnus ense recidendum est! Quis non intelligit Criticum nostrum expuncta Helvetiorum laude, iisdem prope rationibus & alteram quoque pericopam, quæ Belgas a fortitudine militari commendat, in *voûelæ* suspicionem vocare potuisse. Quid enim proclivius ipsi fuisset, quam hunc in modum argumentari: „ Nulla apparet ratio, cur „ Cæsar in expositione de finibus singularum „ Galliæ partium instituta, de Belgarum fortitudine voluerit disserere, de quibus quippe de „ mum *Libro secundo* agit. Et quomodo verba „ illa: *eorum una pars initium capit a flumine Rhodano*, cum Belgis connecti, eisque subijci, „ possunt? „ Quamvis enim expungerentur illa verba de Helvetiis, quæ nunc in omnibus Cæsaris Codicibus leguntur, magnum nihilominus adhuc Hyperbaton, & a digressionem relictus statuendus esset in verbis: *Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano &c.* Quod si porro a Critico nostro fueris percontatus, quæ fieri potuerit, ut hoc Glossema satis prolixum omnes & scriptos & impressos Cæsaris Libros occupaverit, is tibi omnem erroris originem pari fiducia ac si ipse fraudis conscius fuisset, explanabit; ita enim narrat: *Legendum esse, existi-*

mo, hunc in modum: Qua de caussa BELGÆ quoque reliquos Gallos virtute præcedunt. &c. Apparet Lectori illico, intrusum hic esse Glossema Grammatici, seu Commentatoris cujusdam, in quo vox Belgæ minus clare potuit legi. Librarius glossema id inter verba Cæsaris intexuit, & dum descriptor novus putavit, ad Belgas hæc non quadrare, quippe quos Cæsar jam dixerat continenter cum Germanis bellum gerere, ipse Helvetios substituit. Hæc quid aliud sunt quam ægri somnia? Quænam probabilitatis mica apparet, unquam hic lectum fuisse, aut legendum esse pro Helvetiis Belgæ, atque Helvetios nuper admodum ab inepto aliquo descriptore in hujus laudis possessionem fuisse admissos? Nugæ meræ atque ædepol lyræ, lyræ!

Deprehendisse mihi videor in Critico nostro Pseudoli ingenium, de quo Comicus: *Quærit quod nusquam est, repperit tamen.* In quo iudicio meo ne quid gratiæ, ne quid odio dare videar, alterum adhuc criticæ temeritatis exemplum producam, quod in iisdem in Cæsarem emendationibus n. IV. p. 307. habetur, ubi insignem se lacunam in contextu Cæsaris deprehendisse profitetur, quam ante ipsum nemo animadvertit; verba ejus hæc sunt: *Sub finem Capituli III. Libri I. insignis exstat lacuna in contextu. Additur enim statim sub initio capituli sequentis, Orgetorigem moribus Helvetiorum ex vinculis causam dicere debuisse. Dixerat jam Cæsar, Orgetorigem sollicitasse alios, ac inter eos Dumnorigem Æduum, fratrem Divitiaci, eo eventu, ut oartione Orgetorigis fuerint hi adducti ad fidem jurisjurandi ac promissionis mutuam dandam de Gallia occupanda. Nihil verò additur,*

additur, de conatis severioribus quorundam in Orgetorigem, nec de modo, quo Orgetorix in vincula fuit conjectus, ibi inseritur quicquam. Videtur Orgetorix in legatione, ad civitates Sequanorum & Æduorum suscepta, interceptus, ac in carcerem amandatus fuisse. Nam civitas [Cap. IV: 3.] in qua ipse vinculis atinebatur, armis jus suum in eum voluit exequi, cum multitudo clientum ipsius advolasset. Ipso autem mortuo, Helvetii a consilio profectiois in Gallias nondum fuerunt depulsi, quin potius destinationibus suis constanter inhæserunt. Ex qua ratione facile patet, Helvetios haud exstitisse eos, a quibus Orgetorix in vincula fuerit conjectus. Si quid conjectando licet assequi, Romanorum artibus per Sequanorum vel Æduorum nonnullos Orgetorigem, credo, fuisse comprehensum, ac carceri mancipatum. At hæc omnia exciderunt e Cæsare, & membranula illa fuit amissa, cui illa Orgetorigis historiæ pars fuerat inscripta. Profecto totius hujus disputationis ea ratio est, ut eam adduxisse, sit refutasse, adeo ab omni probabilitatis specie abludit. Et Cæsar omnia alia narrat: Ea res [quo videlicet pacto Orgetorix regnum in sua civitate affectaret,] ut est, inquit, Helvetiis per indicium enunciata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt, - - - per eos, ne causam diceret, se eripuit, cum Civitas, ob eam rem incitata, armis jus suum exequi conaretur, multitudinemque hominum ex agris magistratus cogerent; Orgetorix mortuus est, neque abest suspicio, ut Helvetii arbitrantur, quia ipse sibi mortem consciverit. Annon ex his verbis clarum est Orgetorigem ab Helvetiis tanquam libertatis suæ hostem in vincula fuisse conjectum, cum ipsi suis moribus eum ex vinculis causam dicere coegerunt: Neque obstat, quod

post

post ejus mortem nihilominus Helvetii id quod de sua in Gallos expeditione constituerant, perfecterint: ita enim omni metu vacui & extra periculum erant, ne potentior Orgetorix magnoque clientelarum praesidio munitus occasione hujus profectiois libertate oppressa civitatis imperium invaderet. Quemadmodum vero Pseudolus ille criticus insignem lacunam sibi deprehendisse visus est, ubi nulla est; ita mox Glossema aliquod Librarii ineptientis detexisse sibi videtur, ubi nemo alius unquam quicquam supervacaneum aut quod minus congrueret, quamvis monitus, perspicere potuit, pergit enim l. c. hunc in modum: *In hac membrana praeterea fuerant ea etiam descripta, quae ad conspirationem Sequanorum nonnullorum cum Orgetorige fuerunt referenda. Librarius vero ea, quae perierant, restituere voluit per conjecturas. Unde factum est, ut incisum 8. Cap. II. sit obscurum plane & jejunum. Ea locum: Hac oratione adducti, inter se fidem & jusjurandum dant, & regno occupato, per tres potentissimos ac firmissimos populos totius Galliae sese potiri posse sperant. Prima verba usque ad illud: jusjurandum dant, stilum Caesaris perspicuum spirant. Reliqua, quae sequuntur, ab inepto librario fuerunt adjecta. Quis enim tam est iudicio vacuus, ut ipsi haud suboleat, ea, quae sequuntur, rei ipsi parum congruere? Librarius indicare voluit hanc propositionem: „Ipsi, qui, jurejurando inter-*
„posito, fidem & opem mutuam confirmave-
„rant, in ea spe fuerunt, fore, ut ipsi omnis
„Galliae potirentur, quae nationibus constabat
„tribus, utque inter eas sibi dominatum para-
„rent.„ At haec adjectio est supervacanea. Nisi enim id federati sperassent, ad fidem ei mutuam dan-
dam

*dam haud sese adstrinxissent. Librarius vixit ea æta-
 te, qua omnis Gallia formam induerat unius regni. In-
 de enata sunt verba illa: regno occupato. Orgeto-
 rix, auctore Cæsare, Castico Sequano & Dumnorigi
 Æduo promiserat, se illis regna conciliaturum. Si de
 hisce regnis, id est, summa potestate Castici in Sequa-
 nos & Dumnorigis in Æduos Librario fuit sermo, ra-
 tiones & res ipsa exigebant, ut scriberet: regnis oc-
 cupatis. Per illos tres potentissimos ac firmissimos popu-
 los librarius designavit Helvetios, Sequanos & Æduos.
 Dicendum ipsi potius fuisset: fœdere & auxilio mu-
 tuo tres potentissimos ac firmissimos populos po-
 tiri totius Galliæ posse sperant. At inutilis & su-
 pervacua erat hæc verborum accessio, siquidem hoc ip-
 sum spei argumentum in ipsa fœderis natura jam erat
 situm. Hactenus ille. Quæ prolixius disputata
 abunde produnt hominem illum, qui nil nisi la-
 cunas & glossemata loquitur, in Cæsare ne qui-
 dem quæ planissima sunt recte intelligere. Qui
 hæc seorsim legerit, non poterit non in eam ds-
 duci cogitationem, puerum aliquem suas de loco
 Cæsaris planissimo, cujus vero sensum non recte
 fuerit assecutus, hæitationes his verbis exposuisse.
 In Cæsare plana sunt omnia. Orgetorix persua-
 det Castico Sequano, ut regnum in sua civitate
 occuparet, quod pater ante habuerat: idemque
 Dumnorigi Æduo consilium suggerit: Seque,
 ubi primum suæ civitatis imperium obtinuerit,
 suis copiis, suoque exercitu facile illis hæc regna
 conciliaturum, confirmat. Illi hac Orgetorigis
 oratione adducti in eam spem veniunt, sese regno
 per tres potentissimos ac firmissimos populos occupato, to-
 tius Galliæ facile potiri posse, atque ita inter se fidem
 & jusjurandum dant. Ita perspicuum est quam-
 maxime*

maxime illa verba: *regno occupato* distributive accipienda esse, q. d. *regno a singulis in sua civitate occupato*; quanquam etiam verba: *per tres potentissimos ac firmissimos populos*, cum sequentibus conjungantur, ut *speraverint se PER EOS totius Galliae potiri posse*. Neque minus certum est, hos Triumviros totius Galliae imperium non populo suo, sed oppressa populi libertate sibi parare voluisse: Ut adeo ineptæ & a Cæsaris mente alienæ sint, quas Criticus proposuit emendationes.

Quid Tibi jam videtur, Vir Spectatissime! quales putas nos habituros aliquando Cæsaris Commentarios, si huic & similibus aliis hæc impune grassandi licentia daretur? Certe prætorio aliquo edicto a castigandis antiquorum Libris hî erunt submovendi, si quidem intemeratam antiquitatis Lectionem conservari nobis velimus. Tu vero Helvetici nominis gloriam, partamque Eruditionis reconditæ celebritatem tueri, meque Humanitate & Amore complecti perge. Ita fiet, ut malevolorum invidiam, obscurasque calumnias facilius contemnere possim, qui id unum semper studui, ut placerem bonis, tuique similibus Viris; non barbaris illis ab omni cultu & humanitate longissime remotis ex ultima Sarmatia nomen sibi aptantibus *Satanomotuskiis*, *Alitbiodotoskiis*, vere Ἡλιθίοις, quibus me exosum esse nomen haud inique fero, immo magis gratulor. Vale.